

Elegy after the Elegists

G. Rosati (University of Udine)

1) *Epicedion Drusi* 29-36

Fingebas reducem praeceptaque mente fouebas  
gaudia et ante oculos iam tibi uictor erat:  
"Iam ueniet, iam me gratantem turba uidebit,  
iam mihi pro Druso dona ferenda meo.  
Obuia progrediar felixque per oppida dicar  
collaque et usque oculos illius ore premam.  
Talis erit, sic occurret, sic oscula iunget;  
hoc mihi narrabit, sic prior ipsa loquar."

Ouid *Heroides* 13.115-20

Quando ego, te reducem cupidis amplexa lacertis,  
languida laetitia soluar ab ipsa mea?  
Quando erit, ut lecto mecum bene iunctus in uno  
militiae referas splendida facta tuae?  
Quae mihi dum referes, quamuis audire iuuabit,  
multa tamen capies oscula, multa dabis.

2) *Epicedion Drusi* 325-8

Et modo per somnos agitaris imagine falsa  
teque tuo Drusum credis habere sinu,  
et subito temptasque manu sperasque receptum,  
quaeris et in uacui parte priore tori?

Ouid *Heroides* 10.9-12

incertum uigilans ac somno languida moui  
Thesea prensuras semisupina manus.  
Nullus erat! referoque manus iterumque retempto,  
perque torum moueo bracchia: nullus erat!

3) *Epicedion Drusi* 305-10

Tu concessus amor, tu solus et ultimus illi,  
Tu requies fesso grata laboris eras.  
Te moriens per uerba nouissima questus abesse  
Et mota in nomen frigida lingua tuum.  
Infelix recipis non quem promiserat ipse,  
Nec qui missus erat, nec tuus ille redit.

4) *Elegiae in Maecenatem* 33-8

maluit umbrosam quercum nymphasque cadentes  
paucaque pomosi iugera certa soli;  
Pieridas Phoebumque colens in mollibus hortis  
sederat argutas garrulus inter aues.  
†marmora minaei† uincunt monumenta libelli:  
uiuatur ingenio, cetera mortis erunt.

Tibullus *Elegiae* 1.1.1-2

Diuitias alius fuluo sibi congerat auro  
et teneat culti iugera multa soli

5) *Elegiae in Maecenatem* 51-2

Actius ipse lyram plectro percussit eburno,  
postquam uictrices conticuere tubae

6) Pliny *Epistulae* 5.17.2

Quo festinantius nuntio tibi fuisse me hodie in auditorio Calpurni Pisonis. Recitabat **καταστερισμῶν** eruditam sane luculentamque materiam. Scripta elegis erat fluentibus et teneris et enodibus, sublimibus etiam, ut poposcit locus. Apte enim et uarie nunc attollebatur, nunc residebat... excelsa depressis, exilia plenis, seueris iucunda mutabat, omnia ingenio pari

7) Pliny *Epistulae* 4.14.3

Accipies cum hac epistula hendecasyllabos nostros... His iocamur ludimus amamus dolemus querimur irascimur, describimus aliquid modo pressius modo elatius, atque ipsa uarietate temptamus efficere, ut alia aliis quaedam fortasse omnibus placeant

8) Pliny *Epistulae* 7.9.11

Vt laus est cerae, mollis cedensque sequatur  
si doctos digitos iussaue fiat opus  
et nunc informet Martem castamue Mineruam,  
nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum...  
utque sacri fontes non sola incendia sistunt,  
saepe etiam flores uernaue prata iuuant,  
sic hominum ingenium flecti ducique per artes  
non rigidas docta mobilitate decet.

9) Statius *Siluae* 1.2.7-10

Quas inter uultu petulans Elegia propinquat  
celsior adsueto diuasque hortatur et ambit  
alternum fultura pedem, decimamque uideri  
se cupit et medias fallit permixta sorores.

10) Seruius *ad Aeneid* 4.1

Est autem paene totus in affectione, licet in fine pathos habeat, ubi abscessus Aeneae gignit dolorem. Sane totus in consiliis et subtilitatibus est... nam paene comicus stilus est: nec mirum, ubi de amore tractatur... contra dignitatem amor susceptus grauior esse solet

Lucan *Bellum Ciuile* 5.728-9

dubium trepidumque ad proelia, Magne,  
te quoque fecit amor

11) Plutarch *Cicero* 32.4

πρὸς τὴν Ἰταλίαν ὥσπερ οἱ δυσέρωτες ἀφορῶν

Vergil *Aeneid* 6.475-6

Nec minus Aeneas, casu concussus iniquo,  
prosequitur lacrimis longe et miseratur euntem

Ouid *Heroides* 13.145-6

ille ferens dominae mandata recentia secum  
pugnabit caute respicietque domum

Stattius *Achilleis* 2.31-4

Ille quoque obliquos dilecta ad moenia uultus  
declinat uiduamque domum gemitusque relictæ  
cogitat: occultus sub corde renascitur ardor  
datque locum uirtus.

Vergil *Aeneid* 5.1-4

Interea medium Aeneas iam classe tenebat  
certus iter fluctusque atros Aquilone secabat  
moenia respiciens, quæ iam infelicis Elissæ  
conlucent flammis

Ouid *Fasti* 3.565-6

nacta ratem comitesque fugæ pede labitur æquo  
moenia respiciens, dulce sororis opus

Silius *Punica* 8.104-9

Tunc sic Aeneas dulci repetitus amore:  
"Tellurem hanc iuro, uota inter nostra frequenter

auditam uobis, iuro caput, Anna, tibi que  
germanaeque tuae dilectum mitis Iuli,  
respiens aegerque animi tum regna reliqui  
uestra...!

Claudian *Carmina minora* 30.212-20

Quis tibi tunc per membra tremor, quantaque cadebant  
ubertim lacrimae, cum saeva uocantibus arma  
iam lituis madido respectans lumina uultu  
optares reducem galeaeque inserta minaci  
oscula cristati raperes festina mariti!  
Gaudia quae rursus, cum post uictricia tandem  
classica sidereas ferratum pectus in ulnas  
exciperes, castae tuto per dulcia noctis  
otia pugnarum seriem narrare iuberet!

11) Silius *Punica* 8.81-97

Nate dea, solus regni lucisque fuisti  
germanae tu causa meae: mors testis et ille  
(heu cur non idem mihi tum!) rogas. Ora uidere  
postquam est ereptum miserae tua, litore sedit  
interdum, stetit interdum, uentosque secuta  
infelix oculis magno clamore uocabat  
Aenean comitemque tuae se imponere solam  
orabat paterere rati. Mox turbida anhelum  
rettulit in thalamos cursum subitoque tremore  
substitit et sacrum timuit tetigisse cubile.  
Inde amens nunc sideream fulgentis Iuli  
effigiem fouet amplexu, nunc tota repente  
ad uultus conuersa tuos, ab imagine pendet  
conqueriturque tibi et sperat responsa remitti.  
Non umquam spem ponit amor: iam tecta domumque  
deserit et rursus portus furibunda reuisit,  
si qui te referant conuerso flamine uenti.